

OBSERVATIONES.

AD VITAM.

SANCTI NEONIS.

Quinque Dagubita, & triclinium quid? Com-
patris vocabulum, & ejus significatio.
Mutui contrahendi solemnitates. Ci-
vis Fecicus quid? Cumbum,
Cumbe, Cymba.

Inter ædes, quas Neon edificandas curavit,
speciali observatione digna videtur, quam
noster vocatam ait quinque Dagubita, cujus
partem, triclinium videlicet accuratè satis descri-
bit. Dagubita idem ferè, ut arbitror, significat
ac Accubita Scripioribus corrupta latinitatis, &
existit apud Auctores corrupta Græcitatibus. Ana-
stasius in Gregorio III., item Accubita, qua
sunt ad B. Petrum in ruinis posita à fundamen-
tis noviter restauravit, atque depinxit. *Vide*
Duchangium in utroque Glossario. Distinguit au-
tem Agnellus ad quinque Dagubitas à tricl-
in tanquam totum à parte, & adem quasi dicitur
ut dicitur ad existit propter quinque Accubita à tricl-
ino, singulari videlicet loco, ubi convivis Epi-
scopus cum præcipuis Clericorum, & Laicorum
certis solemnitatibus accumbat. De hujusmodi
locis petit laudatus Duchangius, ut suam videat
Constantinopolim Christianam lib. 2. cap. 6., ubi
de Tribunali XIX. Accubitum, quæ quidem il-
lustrare possunt hunc Agnelli locum. Τριβυζάνιον
XIX. αὐθιγίαις cum Silentiaris, seu Secretario
idem esse sentiunt etiam Eruditi. Ibi conveniebant
εὐβουδοί, qui videlicet silentio obligati aliquid
agebant, quare apud Theophanem Ἐκκλησιαστικῶν
interpretantur Synodum, sive consultationem ce-
lebravit. Ea de re videtur laudatus Duchangium
in utroque Glossario. Quid spectat ad Accubita
conviviis Ecclesiasticorum destinata, in Basilica
Leoniana Romæ Summi Pontificis hujusmodi locum
habebant prope Lateranas ædes, ubi in festo Pa-
schæ, ac solemnioribus aliis certis ceremoniis
convivio excipiebant Clerum, & cum aderant,
Reges, & Principes Romæ degentes, quem & in
hunc diem musico opere eleganter ornatum vidi.
In ordine Romano Benedicti S. Petri Canonici,
quem Tomo secundo Musæi Italici edidit Mabillonius
noster, scripto, ut ipse conjicit, ante Cæle-
stini Secundi Pontificatum, ritus describitur, quo
Pontifex convivio excipiebat Cardinales in die Pa-
schæ, qui cum Cubitus, sive Accubitus, &
Cubitium, sive Cubitorium distinguit, & convi-
vii pompam exponat, hic loci describi meretur.
Judices autem ducunt eum (Papam) illa die
in Basilicam magnam Leonianam in cameram,
ubi sunt præparata XI. scannia, & unum sub-
fellium circa mensam Domini Pontificis, & lectus
ejus bene præparatus, in figura XII. Apostolo-
rum circa mensam Christi, quando comed-
erunt Pascha. Ibi jacent in Cubitis quinque
Cardinales, & quinque Diaconi, & Primice-
rius ad prandium, dato prius Presbyterio in
camera cum manibus, sicut in die Natalis Do-
mini. Surgit inde, & venit ad locum, qui di-
citur Cubitorium, ubi Agnus affus benedicitur,
quem benedicit, & redit ad præparatum le-
ctum mensæ. Tunc Dominus Pontifex tollit
panem de Agno, & prius porrigit priori Basili-
caro dicens; quod facis, fac civibus: sicut ille
recepit ad damnationem, tu accipe ad remis-
sionem. Et mittit in os ejus, qui accipit,

A & comedit. Reliquum Agni dat XI. discum-
bentibus, & aliis, quibus placet, & sic omnes
comedunt. Ad dimidium verò convivium ex
præcepto Archidiaconi surgit quidam Diaconus,
& legit lectionem. Cantores autem ex præcepto
Domini Pontificis cantant Sequentiam, quæ sit
conveniens Paschæ modulatis organis, eaque
finita eunt, & osculantur pedes Pontificis, qui
dat eis coppam plenam potione, & accipiunt
à Saccellario unum byzantium. Ita ordo lauda-
tus num. 48., & ferè eadem habentur in ordine
Romano Centi Camerarii num. 35., ubi correctius
pro τὸ Cubitorum, legitur Cubitorium.

B Versus adscriptos triclinio satis elegantes vides,
quique Auctorem suum commendat. Sphalmata
plura emendavi, quæ Exscriptoribus imputari de-
bent; nonnulla tamen, in quibus commodè di-
vinare non potui quid mendii cubaret, reliqui
corrigenda Lectori.

III. Annotato Neonis obitu, indicat Transla-
tionem Corporis ejus suo tempore factam, & ex
hoc etiam capere commendat quæcumque de eo tra-
diderat. Subsequitur narrans rationem, ob quam
imago illi Salvatoris, ad Barabium Forte dicere-
tur. De ea fortè imagine intelligenda sunt, quæ
leguntur initio Synodi celebrata per Gerbertum Ar-
chiepiscopum anno secundo Imperii Ottonis III. Indi-
cione undecima sub imagine Salvatoris infra
valvas majoris Ecclesiæ Ravennatensis; quam
Synodum ex manuscripto Codice Vaticane Bibli-
othecæ edidit Ughellus in Episcopis Ravennatibus
Tom. 2. pag. 351. In ea narratione Agnelli vides
primò, quo vinculo, sedereque conjungerentur
pater, & susceptor baptizati. Hinc Compatriis no-
men summa necessitudinis signum habitum est,
non modò inter susceptorem, & susceptum, sed
etiam susceptorem, & suscepti parentes, ex quo
cognationis spiritualis canonicum vinculum ortum
est, de quo Canones, ac postremò Conc. Trid. Sess.
24. de reform. cap. 2. Id vocabuli usurpatum ali-
quando videtur ad significandam amicitia excellen-
tiam. Sic monet Duchangius inter Epistolas Ste-
phani III. extare unam cum hac inscriptione; Pi-
pino Regi, & nostro spirituali compatri. At
fortassis ea compellatione intendebat Pontifex Pipi-
num ad Ecclesiæ tutelam excitare, patrem secum
eundem vocitans respectu ejusdem Ecclesiæ. Amici-
tiæ fœdus, & compaternitatis necessitudinem
habes apud Petrum Damianum lib. 2. epist. 17.

IV. Habes contrahendi mutui solemnitates, &
personas. Fidejussor adhibetur, qui etiam Media-
tor dicitur, & Testes; tempus verò statutum,
quo mutuatarius mutuum reddere promittit Con-
stitutum vocatur. De his omnibus suis eruditè
locis laudatus Duchangius in Glossario Latinita-
tis, quæ describere renuo, ne aliena expitare vi-
dear. Difficilius est divinare, qui Civis Fecici
nomine veniat, ubi eum, qui mutuum dederat, in
hunc modum Salvatoris effigiei loquentem Agnellus
inducit; si terrenus homo mihi fidejussor fuisset,
coëgissem eum per Judicem, aut Civem
Fecicum, aut sic, aut sic recepissem pretium
meum. Ex contextu apparet, civem significari,
quæ vel ex officio, vel ob opinionem apud cives par-
tam in hujusmodi negotiis Debitorem, vel Fidejuf-
sorem ad reddendum adigere poterat. Ceterum hæ-
ret aqua. Cumbum alibi navis genus memorat
Mutuatarius, quæ Constantinopoli Ravennam
reversus est; Cumbam alii quasi Cymbam. Vi-
de laudatum sæpius Duchangium. Alia clara sunt,
nec majori examine indigent.